



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

24. An Religiosus semel petita, & obtenta facultate à Superiore acceptandi
munus executoris, possit cogi ad acceptandum? Ex p. 8. tr. 5. res. 21.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76413](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76413)

Dico omittens consilium petere etiam à Fratре minore, facit executionem irritam, & idem est in aliis actibus, in quibus mandabatur peti consilium, ita additio ad gloss. *cap. non est, consuetud. in 6. Felin. in cap. ex parte, de consil. num. 1.* ubi dicit omnes ita sentire. Sanchez de *præcep. l. 6. c. 11. n. 35. & 36.* & generalem facit regulam Panormit. *c. ad Apostolicam, cit. & g. 4.* quæ incipit, *Angerio, nu. 6.* quando iubetur fieri cum consilio, omisso illius facit actum esse irritum. Et ratio est, quia lex, vel testator (vt ante nouimus) in dispositione sua cum decernit petendum consilium, facit petitionem consilij esse formam actus, & proinde præmissio illius facit actum irritum, vt ex Matienzo argumentatur Sanchez, *sup.* nec censenda est leuis solemnitas, cum ille qui dat consilium, si prudens sit, & bene fundatus possit euertere totam substantiam dispositionis, quam executor antè conceperat, & mutare in longè meliorem, quod maximè optauit testator, vt ante dictum est. Ita VVadingus, cui addè Dicastillum, *de Iustit. lib. 2. tract. 10. disp. 1. dub. 10. num. 100.*

2. Notandum est etiam hic obiter quòd in his euentibus, in quibus testator ad res dubias, quæ exonerationem conscientie, & salutem æternam concernunt, tenetur consilium petere (provt ex pluribus sacre Paginae locis astruit P. Gregor. Martinez ad D. Thom. *2. 2. q. 19. art. 6. dub. 5. concl. 11.*) & post consultationem illud sequi: alias frustra teneretur assumere, ex dictis à Martinez, *suprà conclus. 12.* similiter Commissarius ad exonerationem conscientie & salutem animæ testatoris, si casus dubius sese obtulerit, tenetur viros doctos consulere, eorūque consilium sequi, cum ad id à testatore fuerit iniunctum.

RESOL. XXIII.

An Executor, qui iussus est petere consilium, teneatur illud sequi?
Et docetur, quando Executor teneatur consilium petere, & sequi, vel non sequi, & quando in dicto casu valeant actus gesti, si aliter fiant.
Et doctrina huius Resolutionis inferuiet ad solutionem plurimorum casuum. Ex parte 8. tractat. 5. Resolutione 33.

§. 1. Respondent communiter, regulariter loquendo, non teneri, quia vt dicitur *1. q. 14. c. 14. q. 1. Can. fin.* ubi consilium datur, offerentis arbitrium est; ubi præceptum, necessitas est seruientis, & satis infirmatur, *c. cum olim, de arbitris, & in c. cum in veteri de electi.* ubi fuscè Panormit. Riminaldus *reposit. in c. primam, de offic. deleg. num. 5.* & Alij. Aliquando tamen ex circumstantiis colligi potest iussum petere consilium, iuberi simul sequi, vt si ille, cui mandatur consilium requirere, non polleat sufficienti iudicio ad rem gerendam, vel saltem non sufficienti doctrina: vt quando iuuenis iubetur facere de consilio viri prudentis, aut index qui præsumitur non esse peritus iuris, iubetur indicare cum consilio. Iurisconsulti censentur mandatum, vt sequatur, si verò in testamento scribatur exequatur cum consilio & consensu, vel autoritate talis, tunc & consilium debet petere, & expectare consensum, vt docent omnes; plurimos citat & sequitur Tiraq. *de legat. commub. gloss.* quod etiam docet VVadingus, *tractat. de contract. disp. 4. dub. 13. §. 2. num. 2.*

2. Hinc Fagundez *de contract. l. 6. c. 5. n. 6.* sic ait. Notabis quintò, solere sæpè testatores in suis testamentis disponere, vt executor aut testamentarius disponat certam summam pecunie, aut executioni præ-

dictum testamentum mandet, vel tale aut tale faciat, de consilio, cum consilio, aut secundum consilium certi Religiosi, quem in suo testamento nominat, quod valde animaduertendum est: nam si dicat, quòd id exequatur de consilio, aut cum consilio illius; tunc quidem huiusmodi executor tenetur solum consilium ab eo petere, non tamen sequi, & valent gesta, si illud non petat, licet possit propter id puniri: si verò dicat, secundum consilium, aut iuxta consilium illius, tunc plane tenetur, non solum petere, sed etiam sequi, & non valent actus gesti, si aliter fiant. Quoad primum casum constat etiam ex *c. dilectum 2. de præbendis, & ex gloss. singulari, in Clement. 1. de iure patronat.* Quoad secundum deducitur ex *c. si Capitulo, de concess. præbend. l. 6.* ubi dicitur quòd si Papa mandet Canonicis, alioquin potestatem habentibus beneficium conferendi, vt illud conferant, secundum consilium dati executoris, quem nominat, non valere collationem, si sine consilio talis executoris conferant, quia per ea verba transfunditur potestas conferendi in executorem, quod notandum est; inseruiet enim hæc doctrina ad resolutionem plurimorum casuum. Vide etiam Molinam *de Iust. tom. 1. disp. 207.* Sanchez *de matrim. tom. 1. l. 1. disp. 34. n. 22.* & alios penes ipsos. Et de hac quaestione etiam *suprà* aliquid actum est.

RESOL. XXIV.

An Religiosus semel petita, & obtenta facultate à Superiore acceptandi munus Executoris, possit cogi ad acceptandum? Ex p. 8. tr. 5. Ref. 21.

§. 1. Affirmatiuam sententiam docet Sanchez in *Sum. tom. 2. l. 6. c. 11. n. 3.* ex auctoritate *c. quidam, de renunciat.* ubi qui petiit licentiam renunciandi, cogitur mutata voluntate renunciare. Nec mirum est (inquit Sanchez) diuersum esse in aliis executoribus testamentorum secularibus, qui compelli nequeunt, nisi prius tacite, vel expresse acceptauerunt *c. penult. de test.* quia cum hi nulla licentia ad acceptandum indigeant, nihil prorsus ad executionem pertinet agunt ante eius acceptationem. Religiosi verò, cum licentia indigeant, eo ipso quòd illam petierunt, iam aliquid ad executionem pertinens egisse videntur. Et ideo compelli possunt exequi, quasi id sit quoddam acceptationis genus. Pro qua doctrina refert Sanch. Cardinalem in *Clem. unic. n. 11. c. 4. de testamentis, & ibi Paulum, & Imolam, & Bonifacium.*

2. Sed hæc doctrina omninò non placet docto Patri Dicastillo *de Iust. l. 2. tract. 10. disp. 3. dub. 10. n. 132.* fateetur in primis cum eodem Sanchez, *num. 13.* si Religioso non petente Superior absque vilo præcepto licentiam concederet, compelli nequit acceptare eam licentiam, nec id munus, quia res est omninò integra. Tota ergo difficultas est, quando eam licentiam, vel acceptaret oblata, vel obtineret petitam. Et in hoc casu adhuc certum puto, si licentia, vel oblata, vel petita, & obtenta esset generalis pro casibus occurrentibus, etiam tunc non posse cogi acceptare. Nihil enim censetur fecisse in ordine ad hanc aut illam occasionem, quæ postea sese offert, sed solum per illam facultatem se constituit in statu capaci, neque in hoc video esse difficultatem. Solum ergo esse potest difficultas, quando pro casu particulari acceptat oblata, vel obtinet petitam. Atque in hoc etiam casu dupliciter potest peti, & acceptari. *Primò*, vt agendo cum alijs, & dispiciendo negotium, pensatis omnibus possit deliberare, an sibi expediat munusmitteret, vel non. Quod si iudicet expedire, possit acceptare; & quidem, neque in hoc casu existimo posse cogi, neque aliquid

Supra in ref. quæ hic est, antecedens, & pro parte huius quæst. in ref. not. præc.

aliquid operatum fuisse in ordine ad acceptandum determinate; sed in ordine ad expedite deliberandum circa utranque partem.

3. *Primo* igitur restat difficultas, an quando determinate pro acceptando munere obtinuit vel acceptavit facultatem à Superiore; censeatur itaque aliquid iam fecisse in ordine ad acceptationem, ut cogi possit acceptare. Atque in hoc quidem casu, si ob datam iam spem, & significationem animi acceptandi, partes quarum interest, aliquid patiantur damni si non acceptet, existimo posse cogi; atque in hoc sensu puto veram sententiam Sanchezij. Si verò tantum communi modo venit ad Superiorem suum; cui representat hoc munus sibi offerri, & velle se habere facultatem acceptandi idque Superior suo arbitrio relinquat, illéque Religiosus, re maturius considerata, aut mutata voluntate nolit ea facultate uti, & acceptare; non video, qua ratione cogi possit; neque argumentum sumptum ex *c. Quidam de renunciationibus*, citatum, memultum movet; poterunt enim ibi alia circumstantia concurrere, ut qui petit facultatem renuntiandi cogatur, etiam postea nollet renuntiare; ut, si præcessisset promissio, aut sub ea spe renuntiationis data, aliquid fecerint, vel omiserint ij, quibus intreat, non facturi alias, nisi id præcessisset, aliaque sexcenta causa possent illius decisionis reperiri. Hucusque Dicastillus.

4. Sed Castrus Palaus *tom. 3. r. 16. disp. 4. punct. 13. §. 1. n. 6.* & Card. de Lugo, *to. 2. disp. 2. sect. 16. n. 325.* docent cum Sanchez, Religiosum, licet cogi non possit, ut petat licentiam, si tamen eam acceptavit cogi potest ut munus exerceat.

RESOL. XXV.

An irritum, & invalidum sit, quod Religiosus Executor testamenti sine Superioris licentia fecerit?
Et quid, si Superior contradicat ei Executionem? Ex p. 8. tr. 5. Relp. 22.

Sup. hoc supra in fine Ref. 17.

Supra in ref. quæ hic est 22.

§. 1. **A**firmatiuam sententiam tenet Fagundez de *Contract. l. 6. c. 5. num. 11.* Carpius de *execut. testam. l. 1. c. 1. n. 22.* VVadingus de *contract. disp. 4. dub. 13. §. 3.* & alij, quos citat Sanchez, *ubi inf. à. n. 43.* Probatur, quia concedunt omnes, quos diffusissime citat Tiraquellus per totam glossam *de leg. commun. (& supra meminimus)* quando consensus requiritur alterius ad aliquem actum, esse illum de solemnitate, & de forma & eius omissionem facere actum invalidum. Atqui licentia est consensus formaliter, quia licentia in eo differt à simplici consensu, quod licentia dicat consensum Superioris, vel habentis potestatem in rem, de qua disponitur; consensus autem simplex possit ab eo præstari, qui nullam habet potestatem. Mirum ergo videri posset, quomodo illi qui concedunt defectum consensus actum reddere invalidum, possint id negare de defectu licentiæ à iure requisitæ; vel quando in lege dicitur non posse aliquid fieri sine consensu, vel licentia, illud verbum, *potest*, præsertim si prohibitionem strictam importet, est clausula irritatoria actus contrarij. Atqui *cap. Religiosus, de test. in 6. & Clem. unica. cod. rti.* dicunt non posse suscipere, vel exequi Religiosum sine licentia obenta (sive consensu) Superioris. Antecedens probatur, cum rationum, & autoritatum genere à Tiraq. *sup.* allatis. Præsertim autem fundamentum est *l. non dubium, C. de legitis.* Quæ lex ab Ecclesia recepta est, ut patet ex Gregorio Magno, & refertur *c. Imperiali 25. n. 1. c. quæ contra, de regulis iuris in 6.* quod ex professo deduximus, *disp. 2. dub. 1.* in quibus locis dicitur solam prohibitionem actus à lege factam; etiam si non declaret, se nullum reddere, facere tamen irritum; & ibi respondimus *ad c. ad Apo-*

stolicum. de regular. Multa fieri prohibentur, quæ facta tenent, declarationem esse quod à *l. non dubium, cit.* multa dentur exceptiones, quas leges vel faciunt in particularibus casibus, vel quas vltus inuenit. Quando autem de exceptione alicuius casus non constat, standum est generali regulæ in lege assignatæ; nec argumentum à simili, quando oritur de exceptione ab vniuersali regula, multum valet, quia semper dicitur legem in isto casu declarasse, in nostro verò non item, ut habet Tuschus post Baldum. *Exceptio. conclus. 421.* & peculiaris est in nostro casu congruentia, cur non debeat à communi lege excipi, quia, ut dicit *in cit. cap.* Pontifex, Religiosus non habet velle, aut nolle, & in exemplis quæ contra adferuntur, non videtur paritas, quia certum est maiorem esse dependentiam Religiosi à voluntate sui Superioris, quam vltius Clerici à voluntate Episcopi.

2. Sed negatiuam sententiam his non obstantibus tuetur Sanchez *in Sum. tom. 2. l. 6. c. 11. n. 44.* & alij penes ipsi, quibus ego addo amicissimum Lezanam, *in Sum. 99. Regul. Tom. 9. vers. Testam. 4.* Laym. *in Theolog. moral. l. 3. tract. 5. c. 11. n. 5.* & Castrum Palaum, *o. 3. r. 16. disp. 4. punct. 13. §. 1. n. 8.* Et ratio est, eo quod in *dilt. c. 2. de test. in 6.* solum hæc susceptio, & executio prohibeatur, neque vltius lex procedat ad irritandum actum prohibitum; idem enim diximus officium Procuratoris sine Superioris licentia valide suscipi, quia textus in *c. Monachi 16. §. 1. & Clem. Religiosus de procurator.* sola prohibitionem contenti sunt, absque addita irritatione. Cum ergo textus in *c. Religiosus* prohibitionem statuerit, quin irritationem addiderit, affirmandum est, actus gestos validos esse, tamen illicite præstentur. Exemploque militis confirmari potest, cui prohibitum est, esse procuratorem; si tamen à iudicio non repellitur, valent gesta per eum, *l. filiusfamilias, §. veterani, ff. de procuratoribus.* Duas tamen limitationes adducit Sanchez, *Prima*, ut intelligatur, nisi Superior contradicat ei executioni. Ita Frideric. & Matienzo *apud eundem Sanchez, n. 45.* qui hanc ipsam limitationem sublimat, quando Superior ita contradiceret, ut expressè irritaret voluntatem Monachi acceptantis vel executionem. Nam simplicem prohibitionem (inquit ille) non fat esse ad irritandum, sicut nec simplex prohibitio iuris id efficit, quemadmodum Superiore prohibente Religiosis votum emittere, valet votum emissum, etsi vouentes peccent; secus quando Superior expressè prohiberet valorem irritando voluntatem. *Secundo*, limitatur sententia, nisi in iudicio opponeretur Monacho exceptio defectus potestatis ad exequendum, eò quod Superioris licentia careat; nam hæc exceptio opposita non valeret postea gesta. Sic Sanchez *n. 46.* ex Romano *Conf. 409. num. 6.* & ex alijs, quos refert.

3. Verum ego existimo omnes supradictas sententias esse probabiles, ut rectè obseruat Dicastillus de *Iust. l. 2. tract. 19. disp. 3. dub. 11. n. 124.* & secunda opinio habet suam maximam probabilitatem, tum propter auctoritatem plurium, & sapientissimorum, tum quia verba textus, præcipue illa, cum velle & nolle, non habeant, explicari possint de velle & nolle licite, quin extendantur ad valide, maxime cum ea, quæ exequitur testamentarius executor, non nomine suo sed nomine defuncti cuius vltimam voluntatem exequitur, censeantur fieri, ut magna ex parte voluntas executoris tantum sit quasi conditio, & applicatio causæ principalis voluntatis, scilicet vltimæ testatoris, ut ea moraliter perferens suos habeat effectus in omnibus particularibus casibus, ad quos testator suam voluntatem direxit.